
DISCURSUS JURIS PUBLICI
DE
STATU IMPERII ROMANI,

Quem

D. T. O. M.

Ex Decreto & consensu

Magnifici JCtorum ordinis



PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

J. U. D. famigeratissimo, P. P. Ordinario longè meritissimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Assessore gravissimo,

Domino Patrono, Promotore atq; Præceptore suo omni honoris & observantiæ cultu sempiternum colendo

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXHIBET

IOHANN: GEORG: Klein/Nordlingensis, Autor.

Ad diem Septembris

Loco horisq; consvet.

JENÆ

Literis SAMUELIS KREBSII,

ANNO 1659.



J. N. D. N. I. C.

§. 1.

ROmanum Imperium, ut in vulgus notum est ex Historicis, originem suam habet à Romulo, Martis & Rheæ Sylviæ filio; qui postquam cum fratre Remo jussu Amulii, in arenosa Tiberis ripa expositus, à Faustulo Regis pastore repertus, & & ab illius uxore Laurentia (quæ, ut volunt quidam ob vilitatem corporis lupa nuncupata fuit) educatus fuisset, adultus, prius occisio Amulio, & Numitore avo in pristinum statum collocato, in inperpetuam expositionis memoriam eo loco, quo expositus erat, urbem, (quam à suo nomine Romam appellitavit) condidit. Cujus dum frater Remus irridet angustias, idque saltû increpat, prima urbis victima fuit. *Flor. lib. 1. hist. Rom. c. 1.* hoc Imperium quam parvis initio inclusum erat limitibus, tàm late & amplè se postmodum extendit; ut nullum ferè majus unquam fuerit, quod etiam attestatur *Eutropius hist. Rom. 7.* scribens. *Romano Imperio, neque ab exordio ullum ferè minus, neq; incrementis ullum majus toto orbe vel amplius memoriam humanam recordari posse.* Et qui populi Romani res gestas legunt, non unius populi aut gentis, sed universi ferè generis humani facta enarrari censeant *Flor. proleg. hist.* Ortum enim & occasum terminos imperii sui posuit. nec hisce fuit contentum limitibus *Tacit. in vit. Agric.* Donec (penè) totum terrarum orbem sibi adjunxit *Imp. Justinian. in Nov. 24. in præfat.*

§. 2. Initio igitur Imperium Romanum Regibus fuit gubernatum Ducentos & quadraginta quatuor per annos:

Cluver. histor. lib. 6. sub Dario Histaspis. p. m. 74. Sleid. de quat. summ. Imp. lib. 1. p. m. 45. quorum ultimus Tarquinius superbus (à moribus ita dictus) fuit, qui non tam ob estrenem in Cives licentiam, quam filii Sexti sui uxoris Castæ Lucretiæ violenter illatum stuprum exautoratus, urbe ejiciebatur; Post cujus lapsum, Regia potestas ad optimates transire cæpit, plebe omninò exclusa, populoque placuit ex perpetuo annuum imperium, ex singulari, duplex constituere, ne potestas solitudine vel mora corrumperetur *Cluver. alleg. loc.* Ita Romanorum prima Monarchia abiit in paucorum manum ad tempus; Primo enim Duo Consules eligebantur, qui jura Majestatis, omniaque insignia tenuêre. *Liv. lib. 2.* mutato tamen tempore & nomine, quia alternatim fasces habebant; cujus Constitutionis rationem Politicam adducit egregiam *Eutropius lib. 1. hist. Rom.* quando dicit: *Hinc Consules cepêre, pro uno Rege, duo hâc de causa creari, ut si unus malus esse voluisset, alter, Eum, potestatem habens similem, coërceret. Et placuit Imperium non longius quam annum unum habere, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos.* Primi autem Consules in præmium restitutæ libertatis pro Regibus appellati fuerunt Lucius Brutus, & Collatinus, ut consulere se civibus suis debere meminissent *Flor. lib. 1. c. 9.* Lucius autem Brutus, quam industrius fuerat in profligendis Regibus, & constituenda libertate, tàm etiam erat vigilans in eâ conservanda. Is senatum supplevit, Populumque comitiis coactis jurare coëgit, Neminem Romæ regnare passuros; in proditores animadvertit, quod testatur exemplum amborum filiorum suorum, qui cum aliis Adolescentibus Romanis occulta tractantes consilia de restituendis Tarquiniis, re patefacta, palam capitali supplicio affecti fuerunt.

§ 3. Bruto in duello contra Tarquinios interemto, Valerius, quem sibi in Comitiis Centuriatis collegam creavit, in idem Imperium successerat, adeo ut collegam sibi non adscisceret, sed solus fascibus superbiret, & in summa Velia ædificaret alto atque munito loco, regni affectati suspicionem incurreret, quam ut amoveret, submissis fascibus, populo ad conci-

concilium vocato in concionem ascendit, Populi, quam Consulis Majestatem atque vim, ubique majorem esse dicens; Deinde Legibus latis, primus omnium populare Imperium, Senatoriæ potestati exitiale invexit. Duo etenim egregia Majestatis jura populo tribuit, provocationem à Magistratibus, atque adeo à Consulibus ipsis, & creationem Magistratuum, *Arnis. de Repub. lib. 2. c. 4.* Hinc nullum dubium est quin consulare imperium & senatus autoritas pessumiverit, quod & conqueritur Appius Claudius; quando consulum minas, non Imperium esse dicit: *Lamp. tract. de Repub. Rom. Germ. part. 2. pag. m. 47.*

§. 4. Per hæc autem non omnia jura Imperii ad populum transierunt, Patres enim & Magistratus cætera jura illibata semper retinuerunt, nec populus ad creationem Magistratuum convenire, nisi jussu Curulium nec de ulla re constituere poterat, nisi in casu quo provocatum esset *Arnis: de Rep. dict. loc.* De bello etiam & fœderibus ad senatum referebatur, nulla habita ratione populi; *Liv. lib. 2.* Populus vero adversus patres tum temporis multa paravit tuendæ libertatis causa, percitatus etiam iracundiæ stimulis ac multis injuriis in sacrum secessit montem & quia res aliter decidi non poterat, plebi concessi sunt Magistratus proprii post secessionem, qui Tribuni pleb. vocabantur, Ab initio autem creabantur quinque, deinde decem, qui plebem contra optimatum potentiam seditiosis concionibus ciere, & ad novi commodi spem & ad nova consilia impellere nunquam destiterunt, donec Patres tribunitiis procellis agitati suum fermè imperium perdiderunt *Lamp. alleg. loc.* Et cum senatus jussa populi, utut nullo jure niterentur, impedire non poterat propter multa incommoda & pericula inde provenientia, metu periculi ad Democratiam flectere Imperium permisit. Et plebeis, jus belli, sacerdotii & Legum condendarum una lege ad populum concessit. Hinc *M: Manlius dixit: omnia adhuc quantacunque petiistis, obtinuistis, seu vi, seu fortuna vestra, tempus est etiam majora conari, Numerate saltim quod ipsi sitis, quod adversarios habeatis, quot enim clientes circa singulos fuistis Patronos, tot nunc ad-*

versus unum hostem eritis; ostendite modo bellum, habebitis pacem. videant vos paratos ad vim jus ipsi remittent Arnis. cit. loc. Centuriatis etiam comitiis legem tulerunt, ut quod tributim plebs jussisset, populum teneret, quam legem postmodum Hortensius Dictator denuo repetiit, & de novo confirmavit *arg. §. 4. Inst. de J. N. G, &C.* Non autem prorsus plebeja fuit Respub. nec patres in universum à consiliis publicis abstinuerunt, illorum etiam potestas & autoritas sæpius eluxit, nonnunquam autem plebi prorsus succubuit; quorum exempla per multa invenire licet apud Florum & alios autores. Nec potestas plebeja diu firma stetit, fuit enim Respub: semper variabilis, donec tandem exitialis & deterrima extitit Anarchia, & ii plus in Repub. potuerunt, qui viribus, non qui jure prævalebant *Lamp. d. part. 2. de his etiam vid. prolix. Arnis. de Rep, l. 2. c. 4. sect. 3.*

§. 5. Cum autem Resp. Rom. tandem variis jactaretur procellis, Cajus Julius Cæsar cum Pompejo & M. Crasso societatem inivit, ne quid ageretur in Rep. quod ulli è tribus displicuisset, *Sueton. in Cæs. c. 19.* Pompejus autem præter inveteratam consvetudinem, non servato fœdere consulatum sibi soli attribuere multis conatus est. At Cæsar militaribus artibus & victoriis inclytus, ad opprimendum Pompejum, totum exercitum convertit, illo devicto, populare genus Civitatis in regiam convertit formam, nec populo quicquam reliquit, quam pristinæ libertatis imaginem: Remp. suo arbitratu ordinavit, sub Dictatoris perpetui nomine ac titulo imperium sibi adrogavit, senatum supplevit, patritios allegit, Prætorum, ædilium Quæstorum, minorum etiam Magistratuum numerum ampliavit, nihilque esse dixit Remp. amplius quam appellationem sine specie & corpore *Lampad. d. l.* Tandem verò cum à populo variis honorum generibus cumulatus, suæ conditionis ignarus, omne dignitatis fastigium transcendere desideraret, ita ut se pro Deo immortali venditaret, ex mera æmulatione in curia tribus & viginti vulneribus confossus obiit. Post cujus miserabilem discessum Triumviratus institutus, M. Antonio C. Octavio & M. Lepido deferrebatur; verum nec hic status diu permansit quietus, Antonius, Brutus, & alii pristinum statum

rum libertatis armis recuperare studentes, à Cajo Octavio Augusto, qui se potentiæ Julianæ hæredem esse sciverat, interempti fuerunt atque debellati. Deinde Augustus extinctis discordiarum civilium fomitibus finem armorum Civilium imposuit, omniaque sub nomine Principis, vocabulo populo gratissimo, gessit, imperiumque nactus est: nec populus unquam post de repetenda Repub. & libertate cogitavit, Nec salvus esse potuit nisi beneficio servitutis. *Flor. l. 4. c. 2.* Mutato igitur statu Reip. Democratico rursus in Monarchicum & absolutum, Cajus Oct: Augustus, devictis Imperii æmulis, quietisque domi omnibus, arma adversus exteros vertit, donec pacatis omnibus ad occasum & meridiem Gentibus tandem bellorum certamini finem imposuit, & ubique ferme totius generis humani pax aut pactio fuit. Ob hæc tot facta ingentia, Cajus Octavius à Senatu populoque Romano, Cæsar Augustus, Pater patriæ, & dictator perpetuus fuit appellatus. *Flor. lib. 4. c. 12.* Omnimodam etiam potestatem populus Romanus per Legem Regiam illi concessit *l. 1. §. sed & hoc. C. de V. J. E.* Sub Augusto igitur Imperium Romanum plenè Monarchicum factum, caputque orbis nuncupatum fuit, hæc de Imperio Romano veteri dicta sunt.

§. 7. Sequitur Imperium Romano Germanicum ita vocatum, quia à Carolo M. natione & sangvine Germano, partim jure belli, partim autoritate Senatus Populique Romani, partim etiam Imperatorum Orientalium consensû acquisitum & ad Germanos translatum fuit. Non autem ut quidam volunt primum ad Græcos, à Græcis ad Gallos, à Gallis ad Italos, & postmodum ab Italis ad Germanos, de quibus *Limnæus Jur. ep. L. 1. c. 3. ita dicit, qui Imperium tradunt à Græcis ad Gallos, à Gallis ad Germanos translatum, ineptè illi ac nimium delirant, cum enim translationem concedant in personam Caroli M. concedant illi simul necesse est illam factam esse in Germanos, quia Germanus ille fuit, nativitate, prosapia, moribus & lingua*; hæc ille: & imò nostri etiam Imperatores Carolum M. nominant Jhrn Vorfahren am Reich; *Recess. Imp. August. de an. 1530. §.* Die weilen auch die Bildnüß rc. Hinc etiam patet, Carolum M. Imperium Occiden-

tale,

tale, non jussu autoritate & confirmatione Pontificis Romani ad Germanos transtulisse, quod frustra contendit Bellar. quem refutatum vid. *à Carpzov. in Lege Reg. cap. 2. sect. 8.* Hic etiam disceptatur inter nonnullos de nostro Imperio, an rectè adhuc hodie vocetur Romanum quod nos affirmamus; quia 1. fuit ad Carolum Magn. translatum; & hucusque continuatum: Deinde etiam Imperator se vocat Romanum, ut patet ex omnibus diplomatis, Recessib. Imperii Instrumento pacis &c. Non obstat quod nostri Imperatores Romam hodie non habeant, & sic amissa Roma capite Imperii, Imperium Romanum dici non possit. Resp. enim licet hodie Imperator actu Romam non habeat vel possideat, tamen jus adhuc illi in urbem Romam salvum manet, Pontifex enim illam tantum de facto detinet, & titulo donationis sibi concessam venditat, quæ tamen nunquam facta fuit; Hinc Imperator Fridericus II. Pontifici rescripsit: *Italia hereditas mea est, & hoc notum est toti orbi, Goldast. tom. 3. Const. Imp.* merito igitur Imperatori jus suum in urbem Romam super est. Cæterum, ut unius cujusque Reip. rectæ finis est salus ac tranquilitas, ita & hujus nostræ; quam bonus Princeps, quoad ejus fieri potest, promovere tenetur, salus enim populi suprema lex esto, inquit *Cicero 1. off.* sicut igitur medico sanitas, Imperatori victoria, sic moderatori Reipublicæ beata civium vita proposita esse debet, quippe qui salutem Reipub. tueri *l. 3. in pr. ff. de præfect. vigil.* & bonum publicum privato præponere debet. *c. unic. in pr. 2. Feud. 52.*

§. 8. De forma Imperii Romano Germanici sive de statu hodierno, acriter litigant Publicistæ, & Limnæus Sabathinam quæstionem (quæ, Raphaël: Fulgos. Interprete, die Sabathi tractanda, h. e. religiose & circumspecte, cum in utramque partem aliquid dici possit.) & vere Magistralem illam esse dicit: *l. 1. c. 10.* Quidam enim, simplicem illum esse contendunt, & quidem tantum Monarchicum, Quidam tantum Aristocraticum: quidam vero ex hisce duobus simplicibus mixtum asserunt. Qui pro pure Monarchico concludunt, pro sua sententia stabilienda has supponunt rationes, 1. quia jura

Maje-

Majeſtatis penes unum & ſolum Imperatorem reſident. 2. quia omnes Reges, ac populi hodie Imperatorem Monarcham ſalutant ac honorant; 3. quia Imperatori ſigna externa Monarchica tribuuntur, ut ſceptrum, regale ſolium, corona, pallium Regale, pomum orbis figuram repreſentans &c. 4. quia Imperator omnibus & ſingulis civibus Imperii ex Cæſarea poteſtate imperat, & quidem ſub pæna *R. J. de an. 1521.* & quæ ſunt alia. Alii, qui pro Ariſtocratico pugnant has adferunt rationes. 1. quia Elector Moguntinus expreſſe dicit; animi fortitudinem Gallo tribuunt, ſed ad Monarchiam illa ſpectat, nobis autem imprimis retinenda eſt Ariſtocratia *Sleid. lib. 1. de ſtat: relig.* 2. quia Imperator noſter tenetur Legibus Imperii, quas jure jurando ſe ſervaturum promittit; 3. Imperator ſolus abs Electorum atque ſtatuum Imperii conſenſu ea, quæ Monarchæ ſunt, facere non poteſt, utpote, leges univerſales condere. &c. Deniq; alii mixtum eſſe volunt, ut *Limnæus lib. 1. c. 10. Arniſæus lib. 2. c. 6. Schönbor. l. 1. c. 16. Liebenthal. colleg. Pol. exercit. 8. quæſt. 1.* & alii: ex Monarchia & Ariſtocratia, Et inter hos nova oritur quæſtio, an nimirum Ariſtocratia an Monarchia præponderet? Et quidem Limnæus & Arniſæus pro Ariſtocratia rationes adferunt ſeqq. 1. fuit etiam ſupra pro Ariſtocratia adducta; quod Elector Moguntinus dicat, nobis imprimis retinendam eſſe Ariſtocratiam; quodque ex parte confirmat Mauritius Elector apud *Sleid. l. 24.* Dum Carolum V. Imperatorem incuſat, quaſi ipſe aliquot per annos totus in eo fuerit, quo Monarcha, ſuppreſſis Principibus Germaniæ, evaderet. 2. quia ſtatus imperii cumulativè, non privativè aut abdicative jus ſuum in Imperatorem conferunt. 3. quod ſecundum ordines Imperii apud Imperatorem ſuprema & libera poteſtas non reſideat, neque is jura majeſtatis ſolus habeat, nec exerceri poſſit ſine Procerum conſenſu. 4. quia Imperator tantum ſit Adminiſtrator Imperii &c. Schönborner. & Liebentha vero cum aliis Monarchiam prædominari contendunt; 1. quia noſtrum Imperium ſit ultima & ſuprema Monarchia ex 4. ſummis à Daniele enumeratis Imperiis. 2. quia ſtatus noſtri ſint Vaſalli Imperatoris, & inveſtituram accipiant ab illo.

3. quia status possint conveniri coram judicio Aulico; quod pertinet ad solum Imperatorem; 4. quia status Imperatori debent rationes reddere R. J. *Spirens. de an. 1529. §.* und seiner Man. gedenckt zu verantworten. 5. quod Imperator creet Duces &c. sed nullus Dux possit creare Ducem. 6. Imperator licet consensum Electorum adhibeat, v. e. in bello gerendo, attamen ille solus bellum indicit, quod est praeminentiae signum: &c. Verum neutra sententia absolutè & generaliter nobis placet, Sed Distingvimus cum *Nobiliss. Domini praeside in praed. coll. Jurispub.* inter causas in Comitiis tractandas vel extra Comitia, in illis tantum juris status habent quantum Imperator, cum habeant vota à nemine prorsus nisi à Deo dependentia, si vero causae sunt extra comitia, subdistingvimus, aut enim sunt limites positi, & in capitulatione praescripti, aut non: in illis causis praedominantur praescribentes status, in his Imperator, & sic modo praeponderat Monarchia, modo Aristocratia.

§. 7. Praeterea Haec Imperii Romano Germanici imago scite appellatur daß Heilige Römische Reich teutscher nation, *R. J. Ratisp. de an. 1541.* Constans capite & membris, Caput est Imperator. qui ratione dignitatis & autoritatis omnes Reges tam Christiani orbis, quam infidelium praecedit, ad hujus autem Majestatis & dignitatis fastigium non jure successionis pervenit, sed suffragio Electorum unanimi eligitur, & propterea, quia successioni hodie nullus locus relictus est, Limn. *jure pub. l. 2. c. 3.* an autem expediat nostro Imperio electio an successio? Disputatur, Nos electionem dicimus Imperio nostro magis expedire, 1. quia ut ipse *Philosophus dicit 3. Ethic. 5.* electio melior est successione; Deinde etiam Germani, natura impellente sunt libertatis studiosi; quae per Electionem conservatur. Denique potest sic eligi Imperator, qui debet regnare juxta normam capitulationis, ut conserventur jura statuum &c. Non obstat, quod successio multa habeat commoda, Resp. enim hoc non esse universale, habet enim etiam incommoda quam plurima, quod patet ex observantia, Et hoc non postremum obtinet locum, quod admissa in regnis suc-

cessione,

cessione, libertas populi non periclitetur tantum, sed ut plurimum si non uno ictu, attamen pedetentim & successive tollitur, quod contra in Electione timendum non est; Electioni autem locus est, quando eligendi Imperatoris necessitas urget *A. B. t. 1. in pr.* Hic etiam quæritur an ab Electoribus possit eligi in Imperatorem Romanum qui non sit Germanus? quod Negatur, Imperium enim Romanum & active & passive ad Germanos translatum fuit, hinc peregrini ad hanc dignitatem Imperatoriam admitti non possunt, quod etiam vult sanctio Ottinis I. qui non alium nisi Germanum in Imperatorem eligi posse expresse decrevit, & Protestantes etiam concludunt hisce formalibus in literis suis apud *Sleid. l. 8. de stat. relig.* Nullus creetur Romanorum Rex, quin sit ex aliqua Germaniæ Principum familia progenitus: In memoriam tamen pristinæ translationis facta in Gallos, concurrere posse Gallum cum Germano & in Imperatorem eligi, quidam asserunt, Verum his Resp. partim ex supra dictis §. 5. partim ex verbis Moguntini Electoris *ap. Sleid. l. 1. de stat. relig. p. m. 47. quæ ita se habent.* *Ad Gallum quod attinet, legibus nostris & jurejurando nos arbitror impediri; quibus cautum est, ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros: quin autem peregrinus ille sit Princeps nulli dubium esse puto,* hæc ille. Germanus autem est & dicitur ille, qui ex patre sive avo Germano natus est, etiamsi sit extra Germaniam, nativitatis enim non adeò habetur ratio, sed potius sangvinis. *Nob. Dn. præses in præ alleg. colleg. Jurispub. l. 2. c. 3. verb. Germanus.*

§. 8. Quando autem quis eligitur in Imperatorem Rom: secundum formulam Electoribus præscriptam, statim ex sola electione est verus Imperator nominandus & censendus, ut habet constitutio Ludovici Bavari ab Aventino *in Annal. lib. 8.* relata; verb. *atq; Imperatorem ex sola Electione eorum, ad quos pertinet verum effici Imperatorem, nec alicujus egere confirmatione, seu approbatione* &c. Cui 1. commendatur & committitur Imperium, certis tamen conditionibus in capitulatione præscriptis. 2. Universis & singulis Principibus, Electoribus Ecclesiasticis, & secularibus, qui propinquiora membra sacri

 Impe-

Imperii esse noscuntur, omnia illorum privilegia, literas, jura, libertates, concessiones, antiquas consvetudines, dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt & possiderunt absque dilatione & contradictione confirmare & approbare tenetur. *A. B. c. 2. §. 7.* Sola itaque Electio ad Imperatoris substantiam pertinet, reliqua vero ut coronatio, in unctio consecratio &c. Sunt tantum accidentia, & ad solennitatem spectant; de quibus late *Limn. J. p. l. 2. c. 4.* adeoque Imperator absque coronatione Papæ jura solâ electione consequitur, Atque hinc Maximilianus I. In Imperatorem electus, Coronam Imperialem à Romano Pontifice accipere non necessarium sibi videri rectè dixit, cum jam Imperii majestatem ab Electione & ordinibus Imperii acceperit; Itaque post legitimam Electionem Imperatoris, illi proponitur capitulatio quam observare tenetur, & vi juramenti ad illam observandam astringitur ut ex ipsis apparet capitulationibus & quidem Ferdinandi III. *art. ult.* An autem hæc capitulatio detrahat Majestati Imperatoriæ, disputant inter se Autores; Quidam hoc affirmant: 1. quia per illam Majestatis jura restingantur, v. e. potestas fœderum, jus belli, jus universales Leges condendi. &c. 2. quia ita non sit solutus Legibus fundamentalibus. 3. quia capitulatio futuro Imperatori præscribatur ut Lex, quam soli status per se condunt: Contra vero alii negant, 1. quod, licet arctius reddatur Imperatoris Imperium, attamen non detrahat ipsi summitati, sed saltim plenitudini potestatis., 2. quod capitulatio præscripta sit saltim ex lege conventionis, & ex libera voluntate, ut patet ex capitulatione Ferdinandi III. *in pr. ibi* auß freiem genedigen Willen & sic obliget tantum propter fidem beneplaciti; 3. quod capitulatio propriè non sit Lex, cum lex in Imperio fiat ab Imperatore & statibus simul, hæc autem tantum à statibus. Verum hæ sententiæ videntur distinctione quadam conciliari posse; si nimirum distinguamus inter majestatem in sensu Aristotelico acceptam, & inter Majestatem secundum usum hodiernum Imperii Romani acceptam; Si priori modò accipitur Majestas, uti etiam affirmantes videntur sumere, tunc detra-

hat

hit ipsi capitulatio, cum Majestas h. m. non sit absolutè summa; sin posteriori modo uti negantes, Majestatem non minuit, cum ea saltim sit summa in ordine ad Remp.

§ 9. Habet autem hæc Majestas duplicia jura; Communicabilia, quę videlicet etiam communicantur aliis statibus Imperii; & incommunicabilia, quæ reservata Imperatoris dicuntur: Keyserliche besondere Hoheiten und reservaten, *R. J. Ratisp. de ap. 1576.* Et Talia sunt 1. jus primariarum precum, cujus vigore in Imperio unam ad beneficium Ecclesiasticum personam præsentandi habet facultatem, non autem concessione Pontificis Romani, ut quidam volunt, sed ex jure & approbata consvetudine, ut patet ex rescripto de primariis precibus Caroli IV. quod refert *Johan. Limnæus l. 2. c. 9. Imperator habet jure & approbata consvetudine, â Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus hactenus observata, potestatem ex coronationis suæ solemnis ad Romanorum Regnum impletione, in quolibet monasterio in Imperio constituto, unam tantum, virtute primariarũ precum, ad beneficium ecclesiasticum promovendi personam:* forte ut sic consuleret Veteranis & senio confectis suis ministris & officialibus, quo in Monasterium reciperentur, ibique alimenta acciperent; *Nob. Dn. præs. in dictat Jurispub. vid. VVehnerus in observat. pract. verb. panis* brief. quid autem juris adhuc hodie supersit Imperatori ratione primariarum precum, videri potest ex *Instrumento pacis Osnabrug: art. 5. §. 5.* 2. jus creandi Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Equites, Nobiles, Comites Palatinos, &c. Sic Heinricus IV. Uladislaum anno 1608. Regem Bohemiæ creasse, innuitur *ap. Goldast. constit. Imp. Tom. 2.* Otto II. Poloniæ Ducem Boleslaum, Regem Poloniæ creavit. &c. reliquorum exempla afferre superfluum erit, cum observantia id ostendat & doceat. Sicut autem Imperator potestatem habet hos gradus conferendi, ita illos iterum exauctorandi; quam tamen exauctorationem hodiè cum consensu statuum fieri debere, *capitulatio Ferdinandi III. art. 30,* satis ostendit 3. jus investituræ, & collationem feudorum principalium, & illorum, quæ fahnlehen vulgariter appellantur, concedendi. *A. B. c. 5. §. 4.*

Jus Academias confirmandi; sic rectè Academia dicitur auditorium publicum, principale, sive imperiale *l. unic. C. de Stud. lib. urb. Rom.* Quod jus insequitur potestas conferendi gradus, & creandi Doctores, Licentiatos, Magistros &c. in singulis facultatibus. 5. Jus condendæ civitatis, quod vocatur Statt Recht; & tale concessit Imperator Ludovicus in specie Gerhardo Episcopo spirensi & aliis; quod si vero quis absque hac concessione Imperatoris civitatem extruere & constituere attentaverit, ea nec jura, nec nomen civitatis habebit; non tantum autem hoc concedit jus, sed etiam splendidis exornat civitates privilegiis, quale est inter alia multa jus stapularum, de quo in *Capitul. Leopoldi, art. 21.* quod à stabulo ita dictum volunt, quod nimirum merces ibi stabulari debeant, & significat communiter forum publicum in urbe quadam designatum, quo Principis autoritate, vina, frumenta, aliæque merces exoticæ uendendi causa convehuntur, & tales in Imperio civitates sunt; ad Danubium Ingolstadium, Ratispona, & Passavia, Ad Albim Magdeburgum & Hamburgum, ad Rhenum Colonia Agrippina, Moguntia & Spira, ad Visurgim unica Bremensis. 6. Jus instituendi cursus publicos, quos vocamus postas, iisque Præfectos, Postmeister / & ministros, postilion; & hæ dicuntur Keyserliche Reichs Posten / quæ ad solum Imperatorem spectant; Hinc cum anno 1579. Dux quidam Germaniæ tales generales postas per Belgium & Italiam instituere pararet, illi severè à Cæsare fuit interdictum; sunt & aliæ postæ, quæ Landposten dicuntur, quas quilibet Princeps in suo territorio habere potest. 7. Jus legitimandi liberos naturales; quod etiam alii per concessionem Imperatoris obtinent, nempe Comites Palatini; Archiduces Austriæ, Duces Mediolanenses, ut & Vicarii Imperii. Denique jus famam restituendi; & alia. de quibus prolixè *Limnæus. d. l.* & alii:

§ 10. Sequuntur modi, quibus Imperator esse desinit; nempe quando sponte Imperio renunciat; vel propter ingravescentem ætatem; vel imbecillitatem perpetuam corporis & quæ sunt aliæ causæ renunciationis, quæ quidem nullis legibus publicis sunt expressæ, attamen hoc licere Imperatori-

ribus,

ribus, Diocletiani Maximini, Herculei, Lotharii I. & Caroli V. exempla satis ostendunt; hæc vero renunciatio fieri debet cum consensu Electorum, non etiam præcisè statuum, quia ad Electores solos pertinet electio, ideo ipsis solis renunciatio est indicanda ab Imperatore, non etiam fieri debet in manus Pontificis, ut quidam volunt, quod aperte ex Caroli V. renunciatione constat, quæ in manus Electorum facta fuit, qui actus ab illis approbatus, vim legis obtinet, ita, ut sequentibus Imperatoribus Romanis volentibus renunciare Imperio, hoc in manus Electorum facere per inde permissum sit, ac si aliqua constitutum esset Imperii constitutione. *Matth. Steph. de jurisdict. l. 2. part. 1. c. 1.* 2. Imperator esse desinit ut volunt quidam publicistæ, quando ob gravissimas causas & transgressiones deponitur, quæ itidem causæ nulla lege Imperiali expressè sancitæ sunt; hinc adhuc inter Publ. disputatur an possit deponi, Imperator? & illi qui negant opponunt hæc. 1. quod nullibi in A. B. Electoribus data sit potestas illa deponendi Imperatorem. 2. quia in Capitulationibus hoc jus sibi non reservarunt Electores. E. illud etiam non habeant, & quod ipse Imperator hac limitatione & restrictione non juraverit, quasi non servato juramento posset deponi; quorum quidem decisio difficilis est; sed ita existimamus quando Imperator omnia tentat & molitur, ut status publicus & libertas Germanica prorsus & in solidum infringatur & opprimatur, quod sic ipso jure desinat esse Imperator, cui deinde saltim accedit declaratoria sententia electorum, quod talis etiam debeat haberi ab aliis. *Nob. Dn. Præses in d. coll. Jurisp. lib. 2. c. 1.* [illegible] Unde etiam Moguntiuus in oratione quadam Heinricum Imperatorem ita alloquitur, quem merito investivimus, cur immeritum non devestiamus. Hic Pontifex rursus conatur sibi attribuere hanc depositionis potestatem, verum ridiculè, quod patet ex illorum invictissimo argumento apud Limn: extante: quod se ita habet: Imperator non potest negare, se Christo subesse: E. nec negare potest se subesse Pontifici, Christi enim & Papæ idem est tribunal, cum hic sit vicarius ejusdem in terris, & quasi alter Deus, de quo argumento per multa

prolata

prolata esse scripta, quæ in sacco cæruleo in Bibliotheca Vaticana asservari dicit idem Limn. qui etiam responsionis loco id reponit; quod quondam Philippus pulcher Francorum Rex Bonifacio se gerenti prosum̃o Pontifice; qui adPontificem ita scripsit, *salutem modicam sive nullam, sciat tua fatuitas maxima nos in temporalibus nemini subesse, sciat credentes, fatuos reputamus & dementes*; quam egregius autem vicarius Christi sit, & Christo in vicariatu conveniat, ex sequentibus à Petro Asylo in Tyrann. Antichrist. adductis patet:

Christus regna fugit, sed vi Papa subjugat illa.
Spinosam Christus, triplicem gerit ille coronam.
Abluit ille pedes, Reges huic oscula prabent.
Vectigal solvit, sed clerum hic eximit omnem.
Pavit oves Christus, luxum hic sectatur inertem.
Pauper erat Christus, petit hic regna omnia mundi
Bajulat ille Crucem, hic servis portatur avaris.
Spernit Christus opes, auri hic ardore tabescit.
Vendentes pepulit templo, quos suscipit ille.
Pace venit Christus, venit hic radiantibus armis.
Christus mansuetus venit, venit ille superbus.
Quas Leges dedit hic, Præsul dissolvit iniquus.
Ascendit Christus, descendet ad infera Præsul.

§. 11. Cæterum, vivo adhuc Imperatore, unanimi Electorum suffragio Cæsarisque assensu (si autem causæ prægnantes & valde necessariæ invito Imperatore) successor adjungi potest, *per capit. Ferd. III. art. 38.* qui Rex Romanorum vocatur: ubi quæritur an de illo Rege Romanorum aliquid in A. B. sit dispositum: quod omnino affirmatur cum *Nob. Dn. Præsid. in sup. cit. Colleg.* & hoc etiam confirmat generalis textus in *A. B. Tit. 1.* quotiescunque & quandocunque necessitas futuris temporibus emerserit &c. 2. hoc etiam patet exemplis; Wenceslaus enim Caroli VI. filius fuit vivo patre electus in Regem Romanorum, quod etiam hactenus multoties factum esse constat, ex serie Imperatorum. Ab hac nostra sententia alienus est *Dn. Limnæus*, qui dicit 1. quòd omnia quæ ibi in A. B. de Rege Romanorum habentur, debeant intelligi de

ipso

ipso Imperatore. 2. quod in *A. B. Tit. 4. §. 2.* expresse habeatur, *quotiescunq; & quandocunq; sacrum vacare contingit Imperium*, quod de adjutore Imperatoris dici nequeat. 3. quod verba illa *quotiescunq; & quandocunque necessitas emergit* debeant subintelligi sc. vacante Imperio: Verum his respondetur 1. quod contextus hoc non probet, & ratio illa principium petat, cum adhuc de illo disputetur. ad 2. R. quod illa debeant intelligi de modo ordinario eligendi Imperatorem, quod etiam in *A. B. Tit. 1.* continetur, unà cum modo extraordinario, in dict. verbis, quotiescunque & quandocunque necessitas emergit, v. c. quando Imperatori vel propter ætatem, vel propter corporis inhabilitatem, vel propter molem negotiorum coadjutor datur. Tertiæ rationi respondet ipsa observantia hodierna, quæ scitè hunc *tit. 1. A. B.* interpretatur; cum sæpissimè tales Reges Rom. electi fuerint. Hinc etiam legitimis de causis Electus Rex Romanorum fit 1. perpetuus Imperii Vicarius. 2; Imperatori mortuo idem indubitatè in Imperio succedit. R. J. Augusti: de an. 1559. 3. Dicitur etiam caput Imperii Romani; Verum non ordinarium sed tantum vicarium. 4. Absente Imperatore Imperium regit & jura Imperatoria exercet: & quæ sunt alia Regi Rom. competentia an autem ea quæ in Imperio peragit propria & independenti prorsus potestate faciat; an vero ex concessione Imperatoris, controvertitur; Nos prius negamus, propter expressum textum *in Capitulatione Ferdinandi III. art. 49. §.* und so viel uns des von Keys. Maj. vergönnet oder zu gelassen wird. Non obstat quod sæpius in R. J. dicatur anstat und im Nahmen Ihrer Keys. Maj. und für uns selbst. R. hæc verba non sunt alternativè sed conjunctim accipienda; quod scilicet hæc agat ex potestate Imperatoria, deinde etiam verba für uns selbsten indicant quidem duas personas, sed non duplicem ordinariam potestatem, imo sæpe etiam hæc verba omittuntur in R R. J J. Non obstat. 2. quod Regi Rom: competat titulus Majestatis *R. J. de an. 1541. in pr. subscript. ibi* Röm. Königlicher Majestät kämmerer. R. titulus ille Majestatis hic tribuitur illi in sensu populari tanquam Regi, sicut etiam aliis est familiaris Regibus; 3. non obstat,

quod ille à jurisdictione Imperatoris sit exemptus, & quod debeat convenire coram Comite Palatino Electore; R. hoc nondum satis evictum est hactenus, quicquid sit, nihil tamen probaret hoc, cum à foro eodem ad eandem jurisdictionem non liceat argumentari. *Nob. Dn. Prhses in Jurisprud. pub. lib. 2. c. 1. §. 10.* Denique etiam nonnullæ constituuntur differentiæ inter Imperatorem & Regem Romanorum, 1. quod Imperator in suo insigni habeat aquilam bicipidem per *R. J. de an. 1559. §.* wie aber vorgestelte sorten: ibi mit zweyen Köpffen; & Rex Romanorum habet aquilam unicipitem, ratio autem hujus differentiæ solida assignari vix potest, imprimis de aquila bicipiti. Quidam putant hoc fluere ex divisione orientis & occidentis, quidam, quod hoc sit saltim insigne voluntatis, quare autem Rex Romanorum unicipitem habeat aquilam, expeditior forsan erit ratio, scil. quo facilius possit dignosci per utriusque sigillum, an literæ sint Imperatoris an Regis Romanorum. Deinde Imperator tribuit Regi Rom: titulum seiner Liebden. Rex vero Imperatori Romano adscribit Majestatem *R. J. spirens. de an. 1544.* Tandem Imperator utitur bullâ aliqua, Rex vero Roman: saltim sigillo, *Carpzov. de Leg. Reg: cap. 11. sect. 1.*

§. 12. Suprà diximus Imperium nostrum constare capite & membris; hactenus autem de capite, sequuntur nunc membra, quæ dicuntur status Imperii; ut Electores Principes Comites, Civitates &c. Alß daß Reichs einverleibte glider *R. J. de an 1541. in pr.* quæ à capite rite dispensantur, veluti magni corporis invicti artus, de quibus nunc cordine dicamus. Dicitur autem hic pro subjectâ materia vox status, omni remota æqui vocatione à stando daß er ein Stimm und Stand in den reichs versamlungen hat *R. J. de an. 1590.* seu quod in illis ceu membris i. e. basibus & columnis stet & subsistat Imperium. Et definitur, quod sit immediatus Imperii civis, in matriculam Imperii, Cæsaris ac communi procerum consensu inscriptus, ut Cæsari in Comitiis de utilitate Imperii proponenti, consilio, suffragio, & auxilio assistat. quam definitionem nunc ordine ponderabimus: dicitur autem 1. civis immediatus; qui nemi-

neminem nisi solum Imperatorem & Cameram Imperialem ob concurrentem jurisdictionem superiorem agnoscit, quo excluditur Landsassus, & ii, qui alterius Principis jurisdictioni sunt subjecti; ubi notandum quod quidam sint immediatè imperio subjecti, & tamen status non sunt; *R. J. de an. 1546. §.* und wollen wir; *ibi* gegen denen so nicht Stände des Reichs / jedoch denn Reich *immediatè* unterworffen &c. quales sunt Dux Lithuaniæ, Transylvaniæ &c. 2. dicitur in matriculam Imperii, consensu Imperatoris & statuum inscriptus, Est autem matricula Imperii catalogus in quô statuum Imperii nomina solenniter relata continentur; & conservatur illa apud electorem Moguntinum Imperii Archicancellarium; Extant autem variæ matriculæ veteres & novæ, & quia olim hac de re disputatum fuit, cum quidam provocarent ad veteres, quidam ad novas; ideo valde laborarunt status nostri certam conficere matriculam, quod tamen plenariè nondum fuit factum, ut patet ex *actis Ratisponens. Comit. de an. 1603.* Prævalet autem hodie illa, quæ anno 1521. Wormatiæ fuit conscripta, & consensu Imperatoris & statuum recepta & approbata *R. J. de an: 1594.* § wenn auch &c. secundum quam etiam in Camera Imperiali judicandum est *Const. Imp. de an. 1576. §.* und wen auch &c. Hic etiam controverti solet, an sola matricula plenè probet statum Imperii Romani, quod quidam negant, quidam autem affirmant. Verum nobis neutra sententia absolute placet, sed distingvimus inter statum latè & generaliter acceptum, & inter statum in sensu strictiori & specialiori acceptum; priori modo dicimus, quod omnis ille sit status, qui in matricula hodie invenitur, & ab aliis pro tali habetur: posteriori autem modo, nullus est status Imperii, qui non etiam habet votum & sessionem in comitiis Ex quibus insimul patescit, quid sentiendum de Rege Bohemiæ; an nimirum ille sit status; quod utique concedi potest si vox status in sensu accipiatur lato, non autem si secùs; cum nullum habeat votum & sessionem in Comitiis, non obstante etiam illo, quod vocetur ad Electionem novi Regis Romanorum. Deinde in matriculam aliquis referri debet probationis ergo, quæ dignitas ipso defuncto, in hæredes quoque vigore

primævæ receptionis transit *Lim. l. 1. J. p. c. 7. n. 80.* Tandem & ultimo dicitur in definitone, in comitiis consilio, suffragio & auxilio Imperatori assistat; cujus causa assumuntur, ut nimirum in parte solicitudinis ac consultationis pro imperii utilitate, tanquam pars corporis imperialis consilio & voto, non solum consultivo sed etiam decisivo Imperio Romano Germ adsint *R. J. de an. 1548. §.* wo aber iemand.

§. 12. Si quis igitur pro statu Imperii velit reputari, necesse est, ut 1. nomen ejus in matriculâ Imperii extet. *R. J. August. de an. 1548. §.* nach dem auch etzliche 2. ut vocetur ad Imperii comitia ibique votum & sessionem habeat; energia enim ordinarium adquirendi jus Imperii, consistit in participatione suffragiorum, ut cum Imperatore, cæteris statibus & ordinibus Imperii de utilitate imperii decernat *Paurmeist. de jurisd. lib. 1. c. 6. n. 3.* 3. ut neminem nisi Imperium & Imperatorem superiorem agnoscat, sitque immediate Imperio subjectus. 4. ut citatus ad Cameram Imperialem in prima instantia ibi compareat, ac ut reus jus judiciumque in se suscipiat *Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 4.* illi enim tantum, qui immediatè Imperio sunt subjecti adeoque Imperii status in camera conveniri possunt in prima instantia, aut etiam coram Deputatis, vigore *ordinationis Imper. part. 2. tit. 1. 2. & 3.* His quidam addunt 5. ut territorium & bona immediata ab Imperatore possideat, quod, an præcisè necessarium sit, quidam dubitant; Nos distingvimus inter statum constitutum & constituendum, & ad constitutum præcisè necessaria non esse bona immediata dicimus; quod confirmari potest exemplo Episcopi Verodunensis, qui à Rege Galliæ omnibus bonis immediatis spoliatus est, & tamen in Comitiis novissimis Ratisponensibus votum & sessionem suam obtinuit; ad constituendum autem statum necessario requiri bona immediata, patet ex nuperis actis Ratisponensibus, ubi inter conditiones à quibusdam Comitibus implendas, etiam hæc fuit præscripta, ut bona immediata dignitati Principis adæquata possideant, & ita demum admittantur ad sessionem & Votum in Comitiis, de quibus *R. J. de an. 1641. §.* und demnach wir &c. hoc etiam non

sine

fine gravi ratione *in capitulatione Ferdinandi IV. art. 45.* fuit constitutum. Tandem 6. addunt, ut certi quid Imperio occurente necessitate pensitet, quod etiam necessario non requiri quidam dicunt, cum tantum hæc symbola & qualitates statuum Imperi sint, nec perpetuo & in separabiles, & plurimos status Imperii ab his collectis immunes esse ut Austriam, Sabaudiam &c. *Limn. J. p. lib. 1. c. 7. n. 97.* tradit quosdam vero solvere collectas, attamen voluntarias ut vocant, nec tamen esse status Imperii, ut Nobiles immediatos, de quibus alibi.

§. 13. Porro dividuntur status 1. Ratione territoriorum; per certos tractus sive imperii plagas in Decem Circulos *R. J. de an an. 1512. §.* darauff quorum primus est Austriacus. 2. Bavaricus. 3. suevicus. 4. Franconicus. 5. Rhenensis superior. 6. Electoralis i. e. quatuor Electorum ad Rhenum. 7. Burgundicus. 8. Westphalicus. 9. Saxonicus superior. 10. Saxonicus inferior. *R. J. de an. 1542.* Qui ordine singulis annis semel, vel etiam sæpius, si necessitas id postulat, conveniunt, & de monetis probandis vel reprobandis, contributionibus, præsentatione Assessorum Cameræ &c deliberant; vel maximè, quo melius paci publicæ consuleretur, ac quo leges Imperii, lataque sententiæ facilius executioni demandari possint *Lim. J. P. d. l.* Si vero in Comitiis circulariter aliquid deliberandum concluditur, hi tantum in sex circulos contrahuntur; *Ordin. Camer.* zu Costanz *de an. 1507.* eligunt autem Circenses sibi Ducem: einen Kreiß Obersten/ cui certi officiales & assessores adjunguntur, quo securitati circuli & circensium invigilent; Deinde ordinant Duos Principes, zwey ausschreibende Fürsten/ qui conventus indicunt per literas, quorum alter Ecclesiasticus, alter secularis esse solet; habent quoque jus Archivi & alia jura vid. *Lat. Limn. alleg. loc.* hic insimul quæritur, an omnes illi, qui in Circulos fuerunt redacti, eorumve Archivo inscripti statibus Imperii annumerari debeant, quod quidam affirmant. Verum negativa verior est sententia, quoniam descriptio illa magis respicit Principatus, Comitatus & Districtum certum, quam ipsos status & personæ dignitatem, siquidem etiam possessores Comitatuum & Dynastiarum quan-

 doque

doque huic matriculæ inferuntur, quo debito modo & tempore collectam impositam circularem persolvant. 2. ratione Personarum in tres classes, ut 1. Electores. 2. Principes quibus annumerantur Comites Barones, Abbates atque prælati, quidam etiam addere volunt Nobiles immediatos; quod illi etiam sint status si conjunctim sumantur, quia feuda regalia ab Imperatore recognoscant, & in album seu matriculam Imperii sint inscripti; Verum frustra hoc addunt; cum status nostri *in conventu Francofurtensi de an. 1631.* expresse negent illos esse status, verb. die freye Ritterschafft in Francken ob sie gleich nicht Reichs Stände &c. quæ verba sunt apertissima, deinde nunquam vocantur ad Comitia nec in illis sessionem & votum obtinent, quod ex observantia patet. Tertiam in classem referuntur Civitates Liberæ Imperiales: de quibus classibus nunc paucis nobis agendum erit.

§. 14. Et quidem primo De Electoribus, quibus tanquam principalibus membris Imperii ac columnis inter status primus debetur locus; de quorum origine statim controvertitur: & variæ variorum sunt sententiæ, communis autem ferè opinio; illustrissimum hoc collegium Othonem III. (quem ob singularem ingenii præstantiam celeberrimum, & vulgari nomine mirabilia mundi vocarunt;) cum Gregorio V. Pontifice instituisse; in quam sententiam permultos historicos & decreta Pontificum adducunt; Verum illa apertè refutatur ex verbis Urspergensis qui scribit Principes Alemanniæ (inter quos numerat Ducem Austriæ, Ducem Bavariæ, Landgravium Thuringiæ &c.) Fridericum II. elegisse primum. alii originem illorum ascribunt Friderico I. verum nihil certi allegari potuit aut demonstrari, ab initio quidem Principes eligebant omnes, sed post Fridericum II. cæpit Electio ad pauciores restringi, alii aliter sentiunt, quos refert *Petr. Heig. part. 2. quæst: 3.* Nos cum *Nobiliss. Dn. Præside sæp. alleg. coll.* existimamamus hoc collegium cæpisse tempore interregni, nempe post Fridericum II. & electores hoc jus sibi tanquam potentiores vel ad rogasse vel ab aliis statibus sponte illis delatum fuisse, ita ut in consvetudinem versum fuerit; Et hinc forsan est quod

in A,

in A. B. dicitur hoc competere Electoribus ex longa consvetudine, *ut c. 1. in pr. cap. 4. §. 3. cap. 9. sub fin. & alibi. Thuanus* etiam *2. Hist.* scribit ante ætatem Friderici II. septemvirorum non meminisse historicos: *vid. etiam Lampad. de Rep. Rom. Germ. part. 3. c. 4.* fuerunt autem olim septemviri de quorum officiis seqq. versic.

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Sax Portitor Ensis,
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi statuunt Dominum cuncti per secula summum.

Hodie autem vi Instrum: Pacis *art. 4. vers. & primum* sunt Octoviri, partim Ecclesiastici; Partim seculares. Ecclesiastici sunt tres Primus est Moguntinus, qui per Germaniam est Archicancellarius & duplex custodit Archivum, tam in aulâ suâ quam in Camerâ Imperiali; 2. Est Decanus Collegii Electoralis, qui mortuo Imperatore, intra mensem cæteris Electoribus omnibus literis denunciat, ut intra tres menses à certo & expresso die, quo literæ redditæ Francofurti conveniant, de novoque Imperatore deliberent, aut missos cum sufficienti mandato legatos præfinito tempore præsto esse jubeant. *A. B. Tit. 1. §. cum autem.* Comparentibus formam juramenti dare *A. B. Tit. 2. in pr.* & in electione Regis Rom. Coëlectorum vota perquirere, & tandem ultimo rogatus suum promere debet: Illius insigne est rota, quo Willechisus, utpote patre Rhedario natus, primum usus est. Secundus est Trevirensis. Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatense, sed forsan tantum nomine, non re? cum tota Gallia ab Imperio exemta sit, hic primum in Electióne votum habet, sedet etiam opposito versus imperatoris faciem; Tertius est Coloniensis, Archicancellarius per Italiam, habet votum secundum in electione, sedet ad dextram Imperatotis latus tum intra tum extra provinciam suam &c. Coronam Imponit Imperatori Romano, si coronatio fit in diœcesi sua: *vid. Conring. in tract. de assertione Juris Moguntini in Coronandis Regibus Romanis*; habent hi tres Electores jus de non appellando *per A. B. Tit. 11. in pr.*

non

non obstat quod contrario usu amiserint; R. jus illud non potest tolli nisi etiam illa moralis facultas tollatur in solidum; & licet non habeant actu secundo, habent tamen actu primo illud jus, & possent, si velint & expediret illud renovare rursus. Et habent hi jus votandi & eligendi licet nondum acceperint pallium à Pontifice, hoc enim non faciunt, quatenus Archiepiscopi, sed quatenus Principes Imperii Romani, in quos nullum jus competit Pontifici. Hoc etiam his Electoribus commune est, quod si quid contra Imperatorem peccent vel committant, Regalibus quidem, quæ ab Imperio tenent priventur, non autem ordinaria banni pæna, uti seculares, afficiuntur. *Limn. J. p. lib. 3. c. 3. n. 56.*

§. 15. Seculares sunt Quinque 1. Rex Bohemiæ qui Pincerna est Imperatoris; proindeque in celebratione Imperialis curiæ primum potum tenetur Imperatori porrigere, non tamen sub corona Regali, nisi libera voluntate *A. B. c. 4. §. 4.* secundus Dux Bavariæ, qui ad dextrum Imperatoris latus sedet, gestat, pomum Imperiale estque Imperii dapifer, & in solemnibus Curiis, quatuor scutellas argenteas, cibis repletas, reponit in mensam, ante Imperatorem. Tertius est Dux Saxoniæ, qui est Imperii Archimareschallus *A. B. c. 4. §. 2.* habetque sub se hæreditarium Imperii Mareschallum Papenheimium; In comitiis atque processionibus Imperialibus gladium Imperialem seu regalem evaginatum Imperatori præfert, in peculiaris Majestatis symbolum. Et vacante Imperio est vicarius ejusdem: Quartus, Brandenburgensis Marchio, qui est Imperii Archicamerarius; in processionibus Imperialibus defert sceptrum, consistens à latere sinistro Ducis Saxoniæ; porrigitque Imperatori aquam manibus abluendis: quintus & ultimus est Palatinus Rheni, qui in Imperio Archithesaurarii officium sustinet; vid: plurib. *Limn. A. B. lib. 3. de Electorib.* hi autem singuli tam Ecclesiasti quam seculares, virtute Principatuum suorum sunt legitimi Electores. *A. B. T. 7.* Hinc si quis illorum provinciam quam regit Electoralem legitimo jure ac titulo acquisiverit; eligendi Cæsaris, aut Roman: Regis potestatem obtinet, licet à Cæsare nondum sit investitus, jus

enim

enim ut dictum non simpliciter personæ inhæret, sed demum, quatenus Electoralem ditionem legitime obtinet neque sola investitura facit Electorem nec jura Electoralia confert, sed saltim declarat & confirmat Electorem illiusque jura, *Nob. Dn. Præs. in dict. adjuspub. lib. 2. c. 1.* Hic quidam asserunt, quasi potestatem eligendi Electores haberent à Pontifice, & afferunt *Capit. Venerabilem 34. extr. de Elect. & Elect. potest.* Verum hoc nihil probat, cum sit testimonium domesticum, nec Pontifex ullum habeat jus in Imperium, non enim Resp. est in Ecclesia, sed potius inversa vice, hinc quod quis non habet, alteri concedere non potest; nec fit mentio Pontificis in A. B. Habent autem hi Electores insignia jura ac privilegia, & alligata est hæc dignitas Electoralis jure successionis Electoribus secularibus ita, ut patre mortuo, illa transeat ad hæredes, vel descendentes, vel ad agnatos. Descendentium autem nomine hic veniunt, primogenitus, qui simul atque in lucem editus est, jus illud successionis adipiscitur, & omnes illi à primo semper acquirente prognati, at non promiscue, sed ordine geniture, veluti si primogenitus sine liberis decesserit, secundogenitus, & si hic sine liberis, tertiogenitus &c. admittitur. *vi A. B. T. 7.* etsi etiam primogenitus decedat nondum acquisito Electoratu, & relinquat hæredem post se, tamen ille etiam legitime succedit *Math. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 5.* si autem nulli inter descendentes adsunt hæredes, tunc Electoratus devolvitur ad agnatos; &c. Hinc valdè aberrant illi, qui Episcopo Bambergensi, Heinricum Imp: jus conferendorum Electoratuum tribuisse dicunt; hoc quidam concedunt, Electores à dicto Episcopo in feuda accipere Archipencernæ, Archimareschalli &c. officia, quod tamen jus accepisse Episcopum negat *Knich. de privil. Saxon. Elect. cap. 10.* Hic illam quæstionem afferre lubet; an Unus Elector possit simul duos tenere Electoratus; quod affirmamus; non obstante illo, quod sic numerus Electorum violetur, & sic pauciores essent Electores quam Octo: n. tot etiam sunt, licet non in individuo, attamen ratione potestatis & officii, cum una persona repræsentet duas in votando, juxta vim & virtutem Electo-

ratuum, insimulque duo habet vota; At dicis; quod si unus duo habet vota; facile collegarum vota potest oppugnare. R. Juramentum illum stringit, quod præstitit, hinc hoc non potest facere, & si hoc vellet, etiam posset, si unum tantum Electoratum possideret.

§. 16. Si vero moritur Elector relicto primogenito impubere, tunc eo casu propter imbecillitatem & inconstantiam, ad administrationem non admittitur, sed tutores illi adjunguntur Proximi adgnati, veluti patruus, aut alius qui proximus est *d. t. 7. A. B.* quod adeo obtinet, ut nec pater Elector in Testamento alios tutores vel contutores constituere possit ut vult *Math. Steph. dict. loc.* adepta tamen legitima ætate, quod in *A. B. 18.* annis completis circumscribitur, successor legitimus fit, & jus, vocem, potestatem & omnia ab ipsis dependentia tutor totaliter cum officio tenetur assignare *d. t. 7.* Cum Bohemiæ Rege aliter se res habere videtur, uti apparet ex electione Caroli V. cui Proceres Regni, Rege minorenne, suffragium dederunt. *Goldast. Politisch Reichs Handlung part. 2. p. 29.* uti etiam cum Ecclesiasticis Electoribus, qui decedentes capitulo resignant, à quo alius in vacantis locum eligitur, qui tamen ita electus, promissa fidelitate, regalia ab Imperatore impetrare tenetur, quibus, ut supra dictum, privatur rursus, si quid contra Imperatorem deliquerit.

§. 17. Alia insuper jura ac privilegia sunt Electorum, quibus de multa egregie constituta leguntur in Aurea Bulla. Sic vacante Imperio Romano, incumbit Electori Bavariæ nec non Electori Saxoniæ tanquam vicariis, ut vices Imperatoris Rom. in omnibus & per omnia sustineant *A. B. tit. 5.* exceptis feudis Regalibus, quorum investitura & collatio Imperatori futuro, vel Regi Romanorum specialiter reservatur; illud tamen hodie inter Palatinum Rheni & Bavarum controvertitur; sic Imperator ipse olim coram Comite Palatino Electore stare & respondere tenebatur, quippe qui illius judex *A. B. t. 5.* non autem in omnibus causis, excipiuntur enim 1. causæ criminales, v. e. depositionis, quod spectat ad totum collegium Electorale. 2, causæ feudales, quæ itidem ad Palatinum

tinum non ſpectant; Porro illis concessum est habere auri, argenti aliorumque metallorum fodinas, monetam auream cudere, judæos recipere, jus liberum circa religionem, quæ omnia fermè ad Regalia pertinent, habentque hanc prærogativam, quæ peculiariter illis concessa est, ut absque specialis veniæ impetratione, pro salute & incolumitate Imperii Germanici conventus indicere possint *A. B. T. 12.* quæ etiam hactenus rite observata fuit; Competit etiam omnibus jus de non appellando, licet nonnulli illud non exerceant per dicta superius. Et insigniuntur ab Imperatore variis titulis, honorariis, de quibus *vid. Petr. Heig. part. 1. quæst. 4.* Tandem committitur etiam in illos crimen Majestatis, quatenus repræsentant corpus Imperii mysticum & quæ sunt alia plura privilegia & jura illis competentia, de quibus prolixe Limnæus & alii.

§. 18. In secunda Classe sunt Principes, sumto vocabulo in generali significatu; quibus annumerantur etiam Comites, Barones, Abbates, Prælati &c. ut jam dictum: in specie autem alius deinde dicitur, Dux, Marchio, Landgravius &c. quæ nomina ab initio non perpetua & hæreditaria, ut hodie, fuerunt, sed tantum temporaria, & ad nutum removibilia; ut loquunrur, muneris & administrationis, imo officiorum nomina. Donec tandem à Carolo Magno; vel ut alii volunt ab Othone 1. istæ dignitates perpetuæ & hæreditariæ factæ, huc usque perduravére. Tantis autem hodie privilegiis, libertatibus & prærogativis præditi sunt Principes Imperii, ut alios aliorum Regnorum Proceres longe superent & hinc exteræ Gentes discant, quam maxima sit Imperii ac Imperatoris Rom. Germ. Majestas, quantave eorum potentia, quod & Carolus V. innuit, quando se in Germania Regibus imperare profitetur; Landgravius etjam Hassiæ Imperium Germ. liberrimum esse dicit apud *Hordleder. de caus. bell. Germ. lib. 4. c. 5.* Teutsche nation ist ein freies Reich und billich daß freieste auff der Welt. *Limn. J. P. lib. 4. cap. 8. numer. 1.* quæ sane libertas antiquissima est, quod & *Tacitus de moribus Germ. c. 7. p. m. 541.* testatur, quando dicit: Nec Regibus infinita & libera potestas

eſt, & Duces exemplo potius quam Imperio præſunt, & alio in loco Germanorum libertatem Arſacis Regno acriorem eſſe perhibet; Eadem libertas translato ad Germanos Imperio à Carolo M. & aliis perduravit hucusque, imo magis reviruit, cum veteranis militib9 de Romano Germ. Imperio bene meritis Territoria & certos diſtrictus cum dignitate Ducali ac majoribus Regalibus liberaliſſime conceſſerint, ac in Imperii conſortium aſſumſerint *Beſold. de jurisd. Imp. Rom. cap. 16. in fin.* Hinc etiam illud decantatiſſimum promanavit, quod quilibet Princeps Imperii in ſuo territorio tantum poſſit, quantum Imperator in Imperio, quod ipſum Imperatorem in ſuo territorio propter regalium inveſtituram repræſentet, quodque vicem Imperatoris obtineat, eique in territorio ſuo æquiparetur: quoad jurisdictionem territorialem habito reſpectu ad ſubditos, quidam concedunt, multos in Imperio eſſe Cæſares Limn. & alii, cum Imperii ſtatus in ſuo territorio ſumma vi polleant, liberamque ac ferè Regiam poteſtatem habeant; quoad Majeſtatem autem & regalia tantũ unicum eſſe Cæſarem utut jurium Majeſtatis communicatio Principibus Imperii facta ſit, illa enim ita ab eodem Imperatore diſpenſata eſt, ut ſemper intacta maneant reſervata & Majeſtas illius *R. J. de an. 1578. §.* der durch 7.

§. 19. Libertates autem, jura, & privilegia Principum, conſiſtunt partim in adminiſtratione totius Imperii Romani. quippe, quod illi vocentur ad Comitia Imperii, ibique votum & ſeſſionem habeant, eisque interſint, non ſolum ut Conſiliarii, ſed tanquam Principales, & cum Imperatore, vel eo defuncto ſoli de Imperii ſumma deliberent ac ſtatuant. *R. J. de an. 1548. §.* wo aber *Math. Steph. lib. 2. p. 1. c. 7. n. 1. de jurisd.* in quibus etiam liberrime agunt neminemque niſi Deum ſuperiorem agnoſcunt. Partim autem in rebus ditionum ſuarum quas poſſident; & ad hæredes una cum dignitate Regali transmittere poſſunt, quæ vero transmiſſio inter illos diverſa eſt, fit enim ut in quibusdam Ducatibus ſolus primogenitus ſuccedat; quales ſunt Electoratus, Ducatus Wirtembergenſis &c. quædam autem familiæ, Ducatus aut Principatus cum fratri-

bus

bus æqualiter dividunt, ut factum in familia Saxonica, & adhuc plerumque in Comitatibus & Dynastiis fit; quædam familiæ in defectu Masculorum, filias ad ditiones transmittunt; ut Austriacæ familiæ, quibus singulari privilegio concessum est, ut nullo existente masculo hærede, Archiducatus devolvatur ad seniorem filiam; Comitatus Mombelgardensis & Teccensis, denique ex defectu legitimorum hæredum, ex pacto confraternitatis, ut supra etiam dictum, succedunt. Sic concessum est Principibus Imperii & omni jure licitum, ad conservandam pacem publicam, ac pro defensione corporis ac bonorum, cum quis timet se spoliatum iri, inter sese fœdera pangere *A. B. tit. 15. R. J. August. 1529.* in omni autem confœderatione exceptum habeant Imperium & Imperatorem, etiamsi illius nulla fiat mentio, quod tamen tutiùs esse videtur, si Imperator expressè excipiatur ad evitandas malas & odiosas interpretationes *Limn. lib. 4. c. 8. n. 25.* hodie etiam per Instrumentum pacis Ornabrug: illorum potestas de fœderibus confirmita est. Hoc etiam singulari jure gaudent ab antiquo, ut liberè per Legatos tam in Imperio quam extra Imperium agere, eosque mittere & recipere possint, quod jus Principibus tam Ecclesiastis, quam secularibus competit sive sint Duces, Marchiones, sive sint Comites Imperii &c. Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. Class. 5. c. 6.* Sic habent jus liberum circa religionem, quod præcipuum illorum Regale est, & post pacem religiosam Augustæ *de an. 1555.* & transactionem passaviensem & novissimè per Instrum. pac. firmatum, cujus virtute tam Augustanæ, quam catholicæ religionis publicum in suis territoriis exercitium possunt habere. Et quod omnium primum est, & instar omnium unicum Territorialis jurisdictio, die LandtFürstliche Obrigkeit quæ, quoniam nec usu juris cognita, nec legibus Civilibus definita, sed solis moribus Imperii Rom: Germ. introducta existit, ideo cognitû difficilis est, & variè à variis accipitur. Nos dicimus quod sit potestas majestatica Principibus ratione territorii immediati competens, in omnes subditos proprio & pleno jure; *Nob. Dn. Præs. in colleg. Jurisp.* Hujus vigore omnes res ac bona intra fines territorii sita Domino territorii

 subji-

ſubjiciuntur; 1. quoad juriſdictionem, quam quilibet Princeps exercet. 2. quoad proprietatem; vindicat enim ſibi Princeps & territorii Dominus omnia Regalia; tam Majeſtatis quam fiſci, in ſuis territoriis jure proprietatis *Reinking. de R. S. & E. lib. 1. Clas. 5. c. 3. n. 16.* Hinc leges provinciales & ſtatuta promulgare poteſt juri etiam communi contraria *Kinch. de Jur. territ. c. 1. n. 79.* quæ tanti valoris ſunt, ut etiam in cauſarũ deciſione inter provinciales, Camera Imperialis ſecundum eas pronunciare debeat. *Ordin. Camer. part. 1. tit. 56.* niſi ſpecialiter ſanctione Imperatoris & Imperii fuerit ex illis aliqua abrogata; aut ſi ſunt contra publicas Imperii leges communi Principum & ſtatuum ſuffragio latas, aut quæ publicam Imperii utilitatem tangunt, hâc autem poteſtate condendi jura provincialia ita plerumque utuntur Principes, ut in conventibus provincialibus conſenſum ſtatuum provincialium der Landſtände adhibeant *Limn. alleg. loc.* his annumerantur, publicatio edictorum, Mandatorum & inhibitionum, quæ etiam vim legis localis habent, iisdemve ſubditi aliive in territorio exiſtentes obedire tenentur. *Matth. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 7. num. 350.* Conſtitutio ulnarum, ponderum, & menſurarum: curare enim Princeps debet, ut ſub juſta menſura & pondere, commercia in Univerſo territorio exerceantur quo incautorum contrahentium deceptio evitetur. Ulterius, poſſunt Dicaſteria provincialia & ſcabinatus erigere, ut totius provinciæ appellationes eo devolvantur; habent quoq; jus non tantum juriſdictionem inferiorem ſeu Civilem, ſed etiam ſuperiorem ſeu criminalem exercendi. Poſſunt inſuper in ſuis territoriis Gymnaſia, uti vocant, inſtituere, quæ ab Academiis multum differunt, & inter eas ac triviales ſcholas intermedium obtinent locum, in his lectiones quidem & exercitia ſtudioſorum ſunt publica, at nulla honorum gradualium collatio, hæc enim à ſummi Principis, ut ſupra dictum, dependent privilegio, non à jure territorii: huc etiam alia multa referri poſſint, quæ Principum poteſtatem Politicam concernunt, illisque ratione territorii aut ex privilegio, aut alio jure conceſſa ſunt, at, inſtituti ratio non permittit; vid. interim prolix. de his Reinking, Kinchen, Limnæus & alii

§. 20.

§. 10. Tertiam classem tenent Civitates liberæ Imperiales die freye Reichsstätt.] dicuntur autem illæ liberæ, non quod omnimodam libertatem & immunitatem habeant, & ab Imperatoris atque Imperii jurisdictione exemtæ sint, sed quod ab Electorum, Principum & aliorum statuum Imperii exactione immunes habeantur; *Paurmeist. de jurisdict. lib. 2. c. ult.* quo sensu differunt à civitatibus Municipalibus, quippe quæ aliis Principibus & statibus sunt subditæ; Vel eæ liberæ sunt secundum Alciatum *in l. censeri. 111. de V. S.* quę quidem Imperatoris fastigium libenter agnoscunt, tributis tamen se atteri, violentia urgeri, & opprimi non patiuntur, quæ pensionibus quibusdam certis & definitis Imperii autoritatem recognoscunt, cæterum ipsæ suis ferè moribus ac Magistratibus gubernantur neque tàm student territorio amplificando, quam libertati suæ conservandæ, *hæc ille*; Imperiales vero dicuntur, quod Imperatori & Imperio immediatè pareant & subjectæ sint. *Limn. J. P. lib. 7. c. 1. n. 32.* hodie autem eo deventum est ut vox Imperii (Reichs) non de subjectione, sed potius de dignitate status Imperii intelligatur. Et civitates liberæ Imperiales hodie dicuntur illæ, quæ Imperatori & Imperio Rom. Germ. immediatè subjectæ, in catalogum Imperii inscriptæ, secundùm matriculam Imperii certam summam contribuunt, & in Comitiis votum & sessionem obtinent. *Paurmeist. d. l.* quando autem & quomodo immediatæ hæ civitates in Imperio cæperint, vix certe determinari, nominatimque dici poterit, cum latenter incrementa sumserint, & juxta Senecam crevisse apparuerint, non crescere. Hoc quidem constat, quod quædam temporibus interregnorum & dissidiorum intestinorum immunitatem hanc adeptæ sint, quædam etiam pecuniæ interventû ex statuum aliorum potestate evaserint, & liberæ Imperiales ita factæ sint, ut nullo unquam postliminio ad veterem Dominum revertantur. *Limn. d. l.* quædam etiam spontaneo motu, salvâ, quâ antea præditæ, libertate, ad Imperium accesserunt, quædam ab Imperatoribus de novo conditæ fuerunt, qui etiam villas in urbes transmutarunt, exemplo sunt Eslinga, Reutlinga & Heilpronna, quæ ab Imperatore Friderico I. Sveviæ

Duci,

Duci, muris circumdatæ & in oppida transversæ fuerunt. Lehman. *in Chron. spirens. lib. 4. c. 8. fol. 286.* quædam aliis modis & pactis à statuum potestate se vindicarunt; Ut autem variis hisce mediis tractu temporis crevit numerus civitatum istarum, ita postea variis ex causis decrevit, ut ad numerum priorem si respicias, hodiernus cum illo collatus perquam sit exiguus. *Limn. alleg. loco* de quo numero etiam variant nonnulli & 66. numerant, nonnulli 84. sed res aliter se habet, tot sunt potissimum civitates liberæ Imperiales, quot hodie ad Comitia vocantur, quotque rescripserunt Recessibus, vel aliis publicis Imperii legibus.

§. 21. Vulgo etiam differentiam ponunt inter has Civitates, quod quædam tantùm dicantur simpliciter Imperiales, quædam vero liberæ Imperiales; prioris generis putant esse illas, quæ aquilam integram, vel partem illius in insigniis habent, posterioris generis autem, quæ olim sub jugo Episcoporum fuerunt, postea vero se ipsas interveniente pecuniâ vel aliis modis in libertatem vindicarunt. Alii in eo differentiam ponunt, & discriminis causam assignant, quod propriè liberæ Imperiales civitates vocentur, quæ à Cæsaribus conditæ fuerint, & quæ semper & ab ævo neminem nisi Imperatorem superiorem recognoverint, simpliciter vero Imperiales, quæ quidem antea aliis subjectæ, postea vero exemtæ & Imperio immediatè conventionibus intervenientibus subjectæ fuerint; alii alias constituunt differentias. Verum frustrà, nulla enim realis & vera differentia est inter illas civitates, quia habent libertatem æqualem & omnibus eodem sensu competit; in Recessibus etiam Imperii promiscue sumuntur & ponuntur, quamvis nonnullæ aliis sint splendidiores, vel opibus, vel subditis, vel privilegiis, ac alias dignior & præferendus is censetur; qui potentior est atque ditior altero, attamen hoc non procedit quoad civitates Imperiales, utpote inter quas nulla est differentia, nec una altera major vel superior habetur, sed omnes unô eôdemque dignitatis & im̃ediatæ subjectionis jure gaudent; magis & minus enim non mutant speciem, nec diversam constituunt speciem. Nec civitates

tates

tates in Comitiis secundum splendorem, magnitudinem, divitias, privilegiorum multitudinem &c. votum & sessionem habent, sed juxta ordinem & morem antiquitùs observatum, nec aliæ præ aliis in votis & aliis actibus ullam prærogativam habent, nisi quoad ordinem & præcedentiam. Non obstat, quod Hamburgum, Brunsuiga, Luneburgum &c. sint civitates Liberæ sed non Imperiales; Resp. enim quod multi hoc negent, & hodie non ita nominentur, nec ab Imperatore, vel aliis statibus pro talibus habeantur, accedit quod homagium præstent, quod subjectionis nota est, per ea quæ habentur in *Instr. Pacis Osnabrug. art. 11. vers. Interea.*

§. 22. Cæterum harum Civitatum Imperialium præ cæteris excellentiam & splendorem communem partim titu-li, & encomia, partim jura & prærogativæ commendant. Ad Titulos & Encomia spectat 1. quod dicantur sanctæ ab Imperatore Sigismundo *Goldast. in reformat. Polit. c. 10. p. 191.* 2. quod dicantur Nobiles, & nobilia Sacri Imperii Rom. membra, in diplomatis & privilegiis Cæsarum. *Paurmeist. lib. 2. c. 2. Johan. Limn. lib. 7. c. 1. n. 41.* 3. quod illustres dicantur Respublicæ *Limn. eod. loc.* Ad jura & prærogativas pertinet 1. Quod neminem nisi Imparatorem agnoscant superiorem; & Imperio immediatè sint subjectæ; quod respectu civium collectivè sumtorum verùm esse; non autem distributivè dicit *Reinking. de R. S. & E. lib. 1. c. 10. n. 28* atque in Imperialibus civitatibus cives, licet ipsa civitas immediate Imperium recognoscat, immediatis non esse accensendos sed mediatis, cum Senatui tanquam Magistratui suo pareant immediato. 2. Illis requisita & jura statuum Imperii competunt, & sunt veri status, id quod matricula abunde probat, vocantur insuper ad Comitia, ibique votum & sessionem habent. Inter has autem civitates in Comitiis una directorium habet, & quidem illa, in quâ Comitia habentur & peraguntur, aut si negotio non est sufficiens, alia eligitur, quæ simul id laboris & honoris sustinet, & hæ quæ directorium obeunt, nomine reliquarum Civitatum, omnes propositiones & relationes, tam in civitatum speciali, quam generali statuum concilio expediunt, conclusa & consulta in chartam conjiciunt, publice legunt, & à reliquis civitatibus

monita, vel corrigunt vel addunt, & sunt divisæ hæ civitates in duo latera sive scamna, Rhenense & Svevicum, & secundum illa sessionem habent in Comitiis, votaque sua singulæ proponunt civitates, alternis scamnorum vicibus, quæ directores requirunt & colligunt, ultimo loco sua quoque adjicientes, & quod per majora placuerit & conclusum, exponitur. Omnia autem illorum acta in duo reconduntur Archiva, unum quod Spiræ conservatur, & est Rhenensium Civitatum, alterum Ulmæ est, in quo Svevici scamni acta reservantur; ex quibus, tanquã locis publicis & authenticis, necessitate postulante, instructio desumitur; habent etiam illæ civitates votum in Comitiis non tantum consultativum, sed etiam decisivum; quod posterius multi illis denegarunt, sed illorum sententia est erronea & refutatur fusissimè *in nup. Instrumento Pacis Osnabrug. art. 8. vers. tam in universali*, ubi illis aperte conceditur votum non solum consultativum sed & decisivum: sed quid si Civitates hæ dissentiant voto ab aliis statibus, quæritur an illud relationi etiam ad Cæsarem inferendum sit? hoc illis in nuperis Comitiis de an. 1641. Ratisponæ habitis denegarunt, sed cum civitates instarent & alternative agerent, ut si illud non fieret, saltim votum ad Comitiorum acta reponeretur, Electoribus & statibus illud placuit, & concesserunt. *Nob. Dn. Præs. in dictat. Jurispub. lib. 1. c. 4. §. 14.*

§. 23. Habent porro 3. in suo districtu territorialem jurisdictionem & superioritatem; per *d. art. 8. Inst. pac.* cum enim sint status Imperii, suaque territoria immediatè ab Imperatore tanquam status teneant, meritò illis tribuenda est summa cohærentia territorii, & hoc probant ferè singuli actus & species ejusdem, habent autem jurisdictionem omnimodam, & quidem eam, quam olim Imperatores per præfectos exercere solebant, tam quoad personas, quam causas, non autem illam exercent nomine alieno, seu administrationis, sed nomine proprio, sicuti reliqui status & territoriorum Domini jure territorii, utpote cui omnimoda adhæret jurisdictio. Et jure Magistratus *arg. l. 1. in pr vers. quæ vero ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* ad hoc enim constitutus est Magistratus ut jus dicat *l. 2. §. 13. de O. J.* & quamvis olim jurisdictio tantum civilis &

non

non criminalis jure Magiſtratus competierit, de conſvetudine tamen hodierna ſecus eſt, & non tantum civilis ſed etiam criminalis jurisdictio officii ſeu Magiſtratus jure competit; Weſemb. paratit. *ff. de jurisd. n. 11.* 4. Competit illis jus circa religionem ſicuti & reliquis ſtatibus, cujus vigore religionem mutare & Veterem catholicam vel Auguſtanam confeſſionem introducere, aliosque actus connexos juris Epiſcopalis exercere poſſunt *per pacem Relig. Auguſt. de an. 1555. tranſact. passavienſ. & Inſtrum. pacis art. 5. verſ. 11.* quod tamen limitationem ſuſcipere videtur, per ea quæ habentur *indict. pacificat. §.* Nach dem aber in his civitatibus, ubi utriusque religionis cives ſuam religionem, quam antea exercuerunt, exercere parati ſunt, quod ſi vero utraque pars in unam ſive Catholicam ſive proteſtantium, conſentiant religionem, conſtitutioni huic contrarium non eſt, ſi alterutra religionum tollatur. *Limn. alleg. loc.* Poſſunt 5. vigore hujus ſuperioritatis ſtatuta & leges municipales condere in ſuis civitatibus, territoriis & ditionibus, quibus cives & ſubditi obedire tenentur etiamſi ſint contra communia jura, Policey Ordnung *de an. 1577. tit.* von den Jüden / quod & nominatim conceſſum eſt à Carolo IV. anno 1375. Civitati Eslingenſi, ut pro lubitu & beneplacito ſuo Leges & ſtatuta condere poſſit. *6.* Conventus & diætas habere illis permiſſum eſt; ſunt autem hi conventus, vel univerſales, vel circulares, vel deputatorum, vel convocantium der außſchreibende Stätte. Univerſales ſunt, quando omnes & ſingulæ Civitates Imperiales omnium circulorum ſimul conveniunt & de rebus cauſisq; communibus ad totum Civitatum collegium ſpectantibus deliberant. Circulares conventus ſunt ubi tantum unius circuli civitates convocantur, & de rebus ſpecialiter ad easdem pertinentibus conſultant. Deputatorum conventus ſunt, quando illæ civitates tantum, quæ ad hoc ſpecialiter ſunt deputatæ, vel earum Legati conveniunt, & de rebus communibus conſultant, quod tum maxime fieri ſolet, quando periculum eſt in mora, vel quando res non eſt adeo magni momenti, ut propterea omnes convocari neceſſum ſit: Sunt autem deputatæ civitates duodecim, ſex ex ſcamno Rhenenſi, & ſex ex ſcamno Svevico. Convocantium

civi-

Civitatum conventus sunt, ubi quatuor tantum illarum conveniunt, ut Argentoratum, Norimberga, Francofurtum & Ulma, vel earum Legati, & de rebus quibusdam ad totum collegium pertinentibus consultant. *Math. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 2. c. 1. 7.* possunt inter se, & cum aliis inire fœdera & societates *A. B. tit. 15.* posterioris exemplum est fœdus Suevicum, cui multæ simul junctæ cum Principibus erant Civitates, Fœdus Norimbergensium cum Episcopo Herbipolensi & Bambergensi, contra Albertum Marchionem Brandenburgicum. prioris, præter alia exempla, est fœdus Hanseaticum, de quo multa *Limn. d. loc.* Plura annectenda essent jura & privilegia his Civitatibus competentia, Verum cum instituti & temporis ratio non permittat, hæc pauca hâc vice sufficiant. Interim B. L. si quid humani passus sum, veniam à te pręstolor, & peto cum omnium memoriam habere & penitus in nullo peccare, divinitatis magis quā mortalitatis sit *l. 2. §. 14. C. de V. J. E.* Et cumprimis Cand. Lect. rogo, quò nō una errata, quę properantiâ & incuria Typothetæ remansêre, haut gravatim emendare velit.

DEO SIT GLORIA.

Non hic compedibus Te deliciosa Vacuna
Illigat, at cupidus disquiris agona Themistos.
Testis adest! Tua mens hunc evigilavit alacri
Discursum *studiô. Prensando fortiter insta.*
Me Sponsore Tibi sic Niceteria confert
Nostra Themis, poteris tandem sic fulgere ab Ostro.

Per - Eximio Dn. Autori gratul.

JOHANN: VOLK. Bechmann / *J. U. D.*
& Prof. Publ. Ordin.

Sic superis semper perstat Mens certa! Laboret
Qui juga Virtutis scandere celsa cupit.
Hoc Tu maturè, prudenter, mente volutans,
De Statu Imperii Lemmata docta seris,
Pergas his cæptis; quò Te, velut umbra, sequantur
Quæ Patrium spondet præmia clara Forum.

Pereximio Dn. Respondenti, amico & inquilino suo satis dilecto amicè grat.

HIERONYMUS Mühlpfort / J. U. D. Cur. Provinc.
Sax. Advocat. Ordi. & Consil. Hoenloic.

